



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Responsa De Ivre Canonico Præsertim Novissimo

Zype, Frans van den
Antverpiæ, M. DC. XLV.

De consecratione ecclesie.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73071)

super prouentibus ad matricem ecclesiam, seu parochum, iuxta d. c. ad audientiam. & d. c. 4. vel per assignationem decimarum, vel per vnionem d. capellanæ, aut quam aliam commodiorem rationem prouidere. iuxta d. 6. in parochialibus. quod si Episcopus citra iustam causam officio desit, per appellationem aditus superior supplebit.

Quod si Ordinario non videbitur casum sibi occurrentem spectare ad d. c. 4. s. 21. Trid. d. c. ad audientiam potest iuxta prius membrum d. c. 4. in capella statuere sacerdotem, qui parochi ibidem vices suppleat, dum incolæ ad parochialem accedere non poterunt. & beneficio illud onus imponere. c. significat. 11. X. de preb. quia omnia beneficia diocesis subsunt ordinationi Episcopi. c. omnes basilice. 16. q. 1. c. sunt vni re. X. de excess. prelat. Vtique sine præiudicio possessoris: scilicet ne ipsi fructus minuantur, aut onus vita eius durante ab eo subeundum sit. præiudicium autem, quod non æquè deinceps permutare possit, considerabile non est, quia ius ei non est permutandi. c. quæsum. X. de permus. sed arbitrium Episcopo. ibid.

De consecratione ecclesiæ.

RESPONSVM I.

De ceremonijs positionis primarij lapidis non repetendis.

^{1.} Ecclesiam quis consecrat, & quam? **E**ccliam ritè constructam atque dotatam consecrat, consecratamue pollutam reconciliat solus Episcopus: c. nemo. de consecrat. dist. 1. loci: c. tua. X. de consecrat. eccl. præsertim hodie: c. 5. s. 6. Conc. Trid. vt nec delegari possit simplex sacerdos. c. aqua. X. de con-

sec. cum ea res sit Ordinis: quæ non nisi Episcopo delegatur. ibid. & c. quamuis. dist. 68. et si praxis reconciliatione delegari alicubi permittat. Syluius in 2. p. D. Thom. 9. 83. n. 3. quam tamen improbat d. c. aqua. die etiam non festo: d. c. tua. sacrificio missæ per Episcopum in consecrata ecclesia peragendo. c. 2. in verb. ab Episcopo & non à chorepiscopo. de consecrat. dist. 1. ex ecclesiæ præcepto. tamen si alioquin non desinat esse rata consecratio Syluest. in v. consec. 2. n. 1. quamuis hodie Pontificale habet, vt Episcopus celebret, vel coram se faciat celebrari.

Consecranda autem est ecclesia, quæ ambigua est de consecratione. c. ecclesie. de consec. dist. 1. dum neque scripturâ, neque testibus illa probatur: c. solemnitates. ibid. (facile autem scripturâ in pariete exarata, crucibus, alijsque signis creditur. Panorm. in c. proposuisti. X. de consec. eccl.) vel si parietes ex toto vel maiori parte simul corruerint. c. de fabrica. de cons. d. 1. nam si per partes diuersis temporibus lapsa & restituta fuerit ecclesia, instar sapius resectæ nauis. proponatur. D. de iudic. pro eadè habetur. quod pars reliqua consecrata, vt dignior, nouam ad se trahat. vt oleum consecratum mixtum non consecrato. c. quod in dubijs. X. de consec. eccl. Denique si parietes in ecclesia toti, vel maiori ex parte fuerint combusti, vel abrafi. quod pars, quæ chrismate fuerint inuncta, deciderit. Panorm. in d. c. proposuisti. non autem si tectum, aliæque edificia lignea, parietibus illæsis, fuerint consumpta. c. lignis. X. de consec. eccl.

Altare autem iterum consecrandum est, cum tabula mota fuerit, vel enormiter fracta; lapis motus, qui sigillum continet. c. 1. 3. 4. X. de eccl. consec. si manentem autem ecclesiâ seu altare polui contingat; reconcilianda tantum est. d. c. 4. & fin. X. de consec. eccl.

Quæ-

2. Quando.
3. Cum missa.

4. An dubia de consecratione?

5. Collapsa, an abrasa?

6. An sepius restaurata?

7. Altare quando iterum consecrandum?

8.
An prima-
rio lapide
manente,
multis in-
terim in-
commodis
& annis la-
pis sit re-
perenda
sollemni-
tas positio-
nis?

Quæsitum est, an posito prima-
rio lapide, & fundamentis non pa-
rum promotis, opere per iniquita-
tem temporum interrupto, quin
etiam loco per hæreticos in pla-
tæam publicam verso, & illis pul-
sis iterum clauso, post annos am-
plius 60. animo resumpto ad opus
olim coeptum, atque ex parte de-
structum, rursus perficiendum, ne-
cessè sit lapidem rursus ponere ijs
ceremonijs, quibus opus est secun-
dum Pontificale, in positione pri-
marij lapidis? & non esse suadetur
ex eo, quod consecratio semel fa-
cta non sit repetenda, *d. c. ecclesijs.*
d. 1. de consec. & quod iuris est de
toto, idem est & de parte. *l. qua de*
tota. D. de rei vindicat. atqui non est
ambigendum, quin olim prima-
rius lapis fuerit ritè collocatus:
cum aliter id fieri seuerè sit pro-
hibitum: *auth. vt nemo fabricet ora-*
torij domos. c. nemo. dist. 1. de consec. &
delicta non præsumantur, sed pro
actu licito fiat interpretatio. *l. me-*
rito. D. præ soc.

Et quamuis postea pars aliqua
murorum super-ædificatorum di-
ruta sit; non tamen peruentum sit
ad fundamenta, sed primarius lapis
manserit: neque defierit consecra-
tio: quamuis ob delicta illic perpe-
trata, aliàs deberetur reconcilia-
tio: si foret Ecclesia. *d. c. proposui-
sti.* mansit enim lapis primarius
immutus, consecrationem reti-
nens, eo modo, quo de altari deci-
sum est, *in c. si motum. d. 1. de con-*
sec. vt si motum nullatenus sit,
quamuis tota ecclesia destructa,
illud consecrari denuo non de-
beat.

Sed an opus sit reconciliatione
loci, operi resumendo præmitten-
da?

9.
Vt pollua-
tur eccle-
sia.

Polluitur ecclesia, (ita vt nec
celebrare missam in ea liceat, *c. is*
qui de sens. excom. in 6. nec diuina
officia, seu horas canonicas, *c. fin.*
X. de consec. eccl. Hugolin. p. 2. c. 29.
§. 7.) homicidio, aut vulnere intra
ecclesiam facto, seu aliàs contra re-

uerentiam loci sanguine fuso: *d. c.*
proposui sti. seu humano semine: *d. c.*
ecclesijs. c. significasti. X. de adult.
etiam inter coniuges, nisi fortè ob-
fessos diu ad vitandam fornicatio-
nem. *Syluest. in verb. consecratio. 2. q.*
5. excommunicato, aut pagano in
ea sepulto: *c. consului sti. X. de con-*
sec. c. ecclesiam. de consec. dist. 1. eij-
ciendo, si discerni potest: d. c. ecc-
lesiam: non tamen muliere præ-
gnante cum prole simul extincta, si-
ne baptismo. quia tanquam pars
matris sepelitur, quæ nondum na-
ta est. *c. si qua. d. 4. de consec. con-*
secratione per Episcopum excom-
municatū facta: argumentum d. c. con-
sului sti a maiori. non autem pollui-
tur ecclesia ex alijs delictis ibidem
commisis. quia canones illa non
expresserunt. neque ob illa recon-
ciliationem præscripserunt, & iu-
ris positiui hæc sunt. sed & eccle-
sia, quamuis nondum consecrata,
sanguinis & feminis effusione quali
polluta aquâ exorcizata lauanda
est. *c. vlt. X. de consec. eccl.* quod po-
test fieri per simplicem sacerdo-
tem, aquâ à se benedictâ delegan-
te Episcopo. *DD. ibid.*

Porro nihil hic proponitur, ob
quod locus hic, non moto prima-
rio lapide, sit habendus pro pollu-
to. sed quoniam multis locis ob-
tinuit; vt post alia etiam delicta fiat
aliqua reconciliatio; rectè funda-
menta primario lapidi superstru-
ta aquâ benedictâ asperguntur:
noui etiam aliquot lapides, non
precibus primario lapidi sacrandi
proprijs, sed communibus benedi-
cuntur, & operi perficiendo sup-
ponuntur, cum benedictione a-
quæ; nec repetitâ positione cru-
cis: quæ in prima designatione fa-
cienda est. *d. auth. & d. c. nemo.*